



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

428. Quæ obligatio Parochi assistendi infirmis, & moribundis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

constitutione vel pacto, sufficere, istam applicationem fieri diebus sollempnibus, censent Vasq. Suar. Nav. *ll. cit.* Filiuc. *tr. 5. c. 6. n. 174.* Laym. *Theol. mor. tr. 5. c. 4. n. 3.* Garc. *loc. cit. diff. 3. dub. 6. n. 7.* Licet autem parochus non teneatur ad applicationem sacrificii pro populo singulis diebus festis, sed maneat ea illi libera, non posse tamen etiam illum (vel etiam alium Capellanum) pro ea missa, ad quam dicendam alicubi quis obligatus est, etiam citra astrictionem intentionis seu applicationis, recipere eleemosynam, censet Barbof. *loc. cit. n. 11.* citans Gavant. *in comment. ad rubric. missal. tom. 1. p. 3. tit. 12. n. 5.* & S. Congreg. declarat. *in decreto de celebr. miss. emanato de mandato Urban. VIII. cuius hæc sunt verba: Congregatio die 1. Sept. An. 1629. respondit; quibus diebus parochi tenentur missam celebrare, non posse manuales eleemosynas recipere. Contrarium nihilominus tenentibus apud Barbof. loc. cit. Ludovic. à S. Cruce. Dian. Turrian. &c. item contra Alphons. de Leon. de Jubilæo. p. c. 20. n. 27. Fraxinell. de oblig. Sacerd. s. 4. concl. 4. §. 8. &c. tenentes, quòd quando constitutum seu relictum est stipendium, non pro applicatione sacrificii, sed solum pro cultu Ecclesiæ & commoditate populi, ut is ibi possit audire sacrum vel communicare, posse Sacerdotem eleemosynam accipere pro ejusdem sacrificii applicatione danti facienda. Secus si constituentes tali sacerdoti certum stipendium voluerint quoque applicationem sacrificii.*

Questio 428. Quæ sit obligatio parochi assistendi infirmis & moribundis?

Resp. primò: teneri illum, ubi necesse est, ad visitandos infirmos accedere, eosq; opportunis remediis juvare, habendo in promptu argumenta ad animam consolandum, excitandumq; ad res divinas & æternas congrua, Barb. *de off. par. p. 1. c. 8. n. 27.* Secundò magnum & necessarium esse ministerium, majorémque ei incumbere obligationem assistendi ægro incipienti agonizare, & ferendi opem opportunam in eo periculoso momento, Barbof. *n. 28.* citans Homobon. *in resp. qq. mor. p. 1. resp. 29.* Non tamen teneri parochum sub mortali assistere infirmo, qui Sacramenta recepit, censet Barbof. *n. 29* ex Machado *in perfecto Confessor. l. 4. p. 2. tr. 2. docum. 23. n. 1.* qui citat etiam Possevin. *de off. curati. c. 13. n. 13.* Quòd si tamen infirmus fuerit impenitens, tenetur ei assistere usque ad reductionem. Barbof. *n. 30.* ex eodem Machad. & Possevin. *nu. 14.* Ac demum non teneri sub mortali infirmum inducere, ut testamentum conficiat. Barb. *loc. c. n. 34.*

Questio 429. Quæ sit obligatio parochi prædicandi verbum Dei?

Respondeo, teneri pastores & animarum curatores oves suas pascere prædicatione verbi Dei. Atque hinc id ipsum toties inculcat & injungit, additis etiam pœnis Trident. *sess. 5. c. 1. sess. 22. c. 8. sess. 23. c. 1. sess. 24. c. 7. &c.* ita ut, qui raro vel nunquam concionem habent ad populum, peccent mortaliter, etiam abstrahendo à gravi necessitate populi. Toties verò peccent graviter contra divinum præceptum, quoties populus graviter egebit prædicatione. Barbof. *de off. parochi. c. 14. n. 8.* Porro tempus, quo omittendo prædicationem, peccabit aliàs mortaliter Trull. *in exposit. decal. l. 3. c. 1. du. 4. n. 14.* ex Bonacin. apud Barbof. *loc. cit.* censet esse duorum vel trium mensium, etiam discontinuorum, Supponere videtur id ipsum Trid. nimi-

rum spatium trium mensium esse notabile in ordine ad gravem culpam, dum *sess. 5. c. 2.* decernit, parochos, si ab Episcopo moniti trium mensium spatio hac in parte non satisfecerint muneri suo, cogendos esse per censuras aliasque pœnas, cum censuræ Ecclesiasticæ non nisi graviter peccantibus imponi soleant. Barbof. *loc. cit. nu. 8.* Porro licet Tridentinum parochis munus prædicationis verbi Dei injunxerit, & quasi proprium illorum munus fecerit, ita ut nec ab Episcopis in hoc impediti possint, ut declaravit S. Congr. ejusdem Concil. *ad c. 2. sess. 5.* his verbis: *Stcuratores animarum per se velint munus prædicationis obire, non debent impediti:* possunt nihilominus per alios officio suo satisfacere, ut colligitur satis ex Trid. *sess. 24. c. 4. Toler. l. 5. c. 5. n. 9.* Trull. *loc. cit. l. 4. c. 1. du. 8. num. 12.* apud Barbof. *loc. cit. nu. 5. & 6.* qui tamen *num. 9.* subjungit, putare se, parochum officio suo non satisfacere, quo ad Deum, prædicationes totius anni aliis committentem, etiam, dum non defunt prædicatores docentes ea, quæ populus scire tenetur, uti nec satisfaceret, si totam curam Vicario committeret, nisi ex consuetudine immemorabili excusaretur. Unde si vellet habere Vicarium, potest eum habere in coadjutore, non tamen, ut is per se ipsum totum onus exerceat, ut bene docent Cajet. *2. 2. q. 185. a. 5. Sor. de just. l. 10. q. 3. a. 1. Henriq. in sum. tit. de indulg. c. 28. §. 1.*

Questio 430. Quæ sit obligatio parochi ad docendum pueros ac rudes doctrinam Christianam?

Respondeo: teneri parochos aliòsque curatos per se vel alios idoneos, si legitime impediti sint, diebus saltem Dominicis & festis fidei rudimenta ceteramque doctrinam Christianam docere rudes & pueros, juxta quod mandat Trid. *sess. 24. c. 4. & sess. 5. c. 2.* Vide de hoc Zerol. *in pr. Episc. p. 1. v. doctrina Christiana.* Ugol. *de off. Episc. c. 16. §. 4. num. 1.* Possevin. *de off. curati. c. 4. de doctrina Christi. &c.* spectat siquidem id ipsum ad officium parochi. Fusc. *de visitat. l. 1. c. 4. n. 17.* Riccius *in decis. Archiep. Neapol. p. 1. decis. 22. n. 2.* Atque ita peccabit parochus mortaliter, ubi nimium negligens fuerit in doctrina istiusmodi Christiana tradenda. Sa. *v. parochus. n. 2.* Fernand. *in Exam. Theol. mor. p. 4. c. 15. §. 5. nu. 7.* Poteritque Episcopus, dum ei constat de parochi hac in parte negligentia vel insufficientia, ex fructibus Ecclesiæ assignare alteri partem congruam, qui hoc munus loco parochi adimpleat. Piaséc. *p. 2. c. 3. n. 16.* Argumento Trid. *sess. 5. c. 2.* Item compellere ad hoc parochos per viam præcepti pœnalis, non tamen comminando pœnam peccati mortalis, ut Barbof. *de off. paroch. p. 1. c. 15. n. 3.* juxta rescriptum Sac. Congregat. ad Episcopum Bergomenf. de 22. Novemb. An. 1592. De cetero non teneri parochum quemlibet in particulari docere fidem, sed sufficere id facere in communi in propriis Ecclesiis ex Ledefma. *in sum. tom. 2. tr. 1. c. 3.* ait Barbof. *loc. cit. num. 1.*

Questio 431. Quæ sit obligatio parochi circa varias denunciations faciendas?

Respondeo: teneri illum inter missarum sollempnia, præsertim die Dominico facere denunciations quædam ex officio absque alia licentia aut jussione; ut sunt vigiliæ quorundam festorum,

rum,